



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 73. Ejusdem Myst. punct. 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](#)

*mecum venire cupit, laboret mecum necesse est  
labori enim præmium respondebit.*

VOL. Generoso animo paremus nos ad laborandum cum Christo, & renovemus affectus Contemplationis regni Christi.

COLLOQ. Conformia eidem Contemplationi,  
RECOLLECTIO.

## MEDITATIO LXXIII.

*De quinque millium hominum refectio-  
ne. Matth. 14.*

*Myst. punct. 2.*

**C**ONG. Eadem.

PRÆL. I. Quomodo Christus panes benedictos turbis per Discipulos jusserrit apponi.

PRÆL. II. Videre locum desertum, in quo hæc fiebant.

PRÆL. III. Petere gratiam, Christo vocanti cœcè obediendi, & ipsum sequendam etiam per ardua.

PUNCTUM. I. PERSONÆ. MEM. Christus jussit turbam discubere super fænum. Matth. 14.

INTEL. Circumspiciamus hunc exercitum sub vexillo Christi. Nam fuit numerus quinque millia Virorum, exceptis Mulieribus, & parvulis. Matth. 14. discubebant omnes tamquam castrorum acies ordinata. Cant. 6. Nam discubuerunt in partes, per centenos, & quinquagenos. Marc. 6. idque humili-

COI

co, imò humi super fœnum. Inde convertamus oculos ad campum Babylonicum, ubi Dux impiorum sedet in Cathetrâ igneâ, & fumolâ, & ubi omnia perturbatione, & horrore sub ejus vexillo sunt plena. REFL. Eligendum alterutrum vexillum. Nam *nemo potest duobus Dominis servire.* Matt. 6.

VOL. Curramus ad Vexillum Christi, & renoveremus antè conceptos affectus.

PUNCTUM II. VERBA. MEM. Christus dixit Discipulis: *date illis vos manducare.* Matth. 14. talia autem nominatim dicebat Philippo tentans eum: *ipse enim sciebat, quid esset facturus.* Joan. 6.

INTEL. Sic tentavit Deus Abraham. Gen. 22. Sed ejusmodi tentatio sive probatio juxta Reg. 5. hebd. 2. disc. spir. semper tendit ad bonum, circa principium, medium, & finem. Dum vero diabolus tentat, semper per discursum mentis aliquid offertur: vel sequitur, quod ex se malum sit, & hoc modo Deus neminem tentat. Jac. 1. REFL. Concludamus æquum, & necessarium esse, ut vigilemus, ne per diaboli tentationes decipiatur.

VOL. Oremus ut exploratas habere possimus fraudes mali dæmonis, & juxta Regulas de disc. spir. discernere Dei temptationem, & probationem: a diaboli insidiis. *Proba me Domine, & tentame, ure renes meos, & cor meum.* Ps. 25.

PUNCTUM III. OPERA. MEM. Christus dedit Discipulis panes. Discipuli autem turbis. Matt. 4. INTEL. Sic Deus vult nos per manus Ministrorum

P

suo-

suorum, & Superiorum nostrorum accipere sua  
beneficia: ut sic humilem obedientiam exerce-  
mus REFL. Examinemus obedientiam nostram jux-  
ta Regulas; & an Superiores Christi loco habe-  
mus.

VOL. Exerceamus nos in tertio gradus humili-  
tatis, ejusque affectus identidem excitemus; sic  
sponte sua succedet perfecta obedientia. Nam  
*nihil arduum est humilibus, & nihil asperum mi-  
tibus.* S. Leo in Epist. S. P. Nostri de obed.

COLLOQ. Ut ad tres modos humilitatis:  
RECOLLECTIO. REPETITIO. APPLICATIO SENSUUM.

## MEDITATIO. LXXIV.

*De quinque milium hominum refectione.*

Matth. 14.

Myſt. punct. 3.

CONG. More solito.

PRAEL. I. Quomodo comedent, & saturati  
fuerint, & superaverint cophini duodecim.

PRAEL. II. Intueri locum, in quo turbæ ordina-  
tè discumbebant.

PRAEL. III. Petere gratiam, Christum cum ma-  
gnâ spe, & fiduciâ sequendi.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Speculemur con-  
vivium illud, in quo turbæ sedebant secun-  
dum contubernia *super viride fenum.* Marc. 6.  
& Jesus cum suis Discipulis ministrabat.

INTEL. Fuit illud quasi figura cœlestis illius con-  
vivii,